ad No 13479 Fiscalen 487

1

8372

Cw 47 a 15

Litt.a A

In Nomine Domini

Venceslaus Hieronymus de Bogusławice Sierakowski D. E. I, et Apostolicæ Sedis Gratiâ Archiepiscopus Metropolitanus Leopoliensis

Ad perpetuam rei memoriam.

Vniversis et singulis quorum interest, aut quomodolibet interesse poterit, præsentes literas Nostras perpetuò et in ævum valituras, visuris, lecturis, audituris significamus, quomodò coram Nobis ad Jura reddenda Causasq́ audiendas pro Tribunali sedentibus comparens personaliter Generosus Christophorus Deima Illustris Magnifici Nicolai à Potok

Potocki.

Potocki Palatinidæ Betzensis Anteacti Capitanei Kanioviensis Bonorum Buczacz, Potok et Horodenka immediati Hæredis Plenipotens, in Termino ex Literis Edictalibus legitimè executis, accusavit contumaciam omnium et singulorum Jus aliquod vel interesse ad infrascripta se habere putantium vel prætendentium, quatenùs non comparentium, et in eorum contumaciam producta Inscriptione Capitalis Summæ Quinquaginta Millium Florenorum Polonicalium pro Censu per Septem à quolibet Cento pendendo, super Bonis Oppidi Buczacz per Illustres Magnificos Ignatium Kanioviensem, et Josephum Czorsztynensem Capitaneos, à Potok Potockie Fratres inter se germanos, olim Illustris Magnifici Josephi ab eadem Potok in Manasterzyska Potocki Castellani Leopoliensis Filios vigore submissionis certa Transactione Leopoli die Octava Mensis Novembris Annô Millesimô Septingentesimô Sexagesimô Quartô conscripta Actis Officii Castrensis Leopoliensis Feria sextâ post Festum Sancti Martini Pontificis, itidem Annô elapsô roborata et ad Acta Castrensia Haliciensia Feriâ Quintâ in Crastino Festi Præsentationis Beatæ Virginis Mariæ annô quô supra per oblatam porrecta, comprehensæ, coram Actis Castrensibus Trembovliensibus Feriâ Sextâ post Dominicam Oculi Quadragesimalem proxima annô currenti Millesimô Septingentesimo Sexagesimô Quintô.

Quintô in rem Ecclesiæ Præpositturalis simul Parochialis Buczacensis recognita, Inscriptionis reemptionalis ejusdem Summæ per Illustrem Magnificum Antonium Michaelem Potocki immediatum anteactum Palatinum Betzensem Exercituum Regni Generalem Locum tenentem, Eorundem Magnificorum Potockie Capitaneorum Patruum factam approbatoria, eandem in omnibus et singulis illius punctis, clausulis, articulis, nexibus, ligamentis ac Conditionibus universis approbari, confirmari, et ratificari, roburq́ ejusdem Authoritatis Nostræ Ordinariæ et perpetuæ firmitatis eidem apponi; Summam præfatam Capitalem Quinquaginta millium florenorum Polonicalium unà cum Censu immunitati et libertati Ecclesiasticæ adscribi, et incorporari obligationes intuitu pendendi ejusmodi Census praescribi, illasq́ Præposito ac Presbyteris ejusdem Ecclesiæ imponi, et ad easdem adimplendas sub onere conscientiæ obligari, cæteraq́ pro causæ præsentis exigentia statui et sententiari postulavit. Cujus quidem Inscriptionis Approbatoriæ tenor est qui sequitur = Actum in Castro Trembovliensi, Feriâ sexta post Dominicam Oculi Quadragesimalem proximâ Annô Domini Millesimô Septingentesimô Sexagesimô Quintô. Illustris Magnificus Ignatius Kaniovienses et Josephus Czorsztynensis Capitanei à Potok Potockie Fratres inter se germani, olim Illustris Magnifici Josephi à Potok in Manasterzyska

Potocki.

Potocki Castellani Leopoliensis cum Illustri Magnifica Pela=
gia de Potockie Superstite procreati Filii, sani ac rece=
dendo Recognoverunt et quilibet Illorum suo pro interesse
Recognovit, Quia Ipsi evincendo Illustrem Magnificum An=
tonium Michaëlem Binominis Potocki Exercituum Regni
Generalem Leutnantem Ordinis Aquilæ albæ Equitem ante=
actum Palatinum Betzensem, olim Illris Magnifici Josephi
in Manasterzyska Potocki Castellani Leopoliensis Fratrem ger=
manum, sui verò Patruum ab onere efficiendæ approbationis
Inscriptionem debitoriam super Summam Quinquaginta
millium Florenorum Polonicalium Titulo Reemptionali=
alias na Wyderkaff per suprascriptum Illrem Magnifi=
cum Patruum Nomine suorum recognoscentium et Illustri=
um Magnificorum Dominici Petri, Pauli, Cajetani, Joan=
nis Potockie Castellanidarum Leopoliensium Fratrum
suorum germanorum, coram Actis Castrensibus Cracovi=
ensibus Feriâ Tertiâ post Festum Sanctæ Agnetis Virgi=
nis in Anno præsenti Millesimô Septingentesimo Sexa=
gesimo, Quinto recognitam, pro re Ecclesiæ Præposituralis
Bucracensis ad ædes ac sub Titulo Assumptionis in Cœlum
Gloriosissimæ Virginis Mariæ situatæ, per Illrem Magnificum
Nicolaum Potocki Palatinidam Betzensem de nova ra=
dice exstructæ, ac per Eundem omnimoda supellectili ditatæ,
cum pendenda quotannis provisione ad Summam Trium Mil=
lium.

lium Quingentorum Florenorum Polonicalium reducenda, et ad manus Perillustris et Reverendissimi prædictæ Ecclesiæ Præpositi non obstante annorum calamitate, in determinio cujuslibet anni ad Quietationes manuales ex Proventu Tabernalis Arendæ Bonorum Oppidi Buczacz realiter et in effectu solvenda, intercessam, et super Bonis Oppidi Buczacz cautam et assecuratam, in omnibus ejusdem punctis, clausulis, articulis, nexibus, Foro et ligamentis, approbant, confirmant, et ratificant. Præmissamq[ue] Inscriptionem reemptionalem tàm in toto, quàm in quavis minima ejus parte inviolabiliter manutenere et adimplere usq[ue] ad realem ejusmodi Quinquaginta Millium Florenorum Polonicalium Summæ exolutionem se suis cum Successoribus obligant et inscribunt, idq[ue] sub vadio similis Quinquaginta millium florenorum Polonicalium Summæ, et coram Officio Castrensi Leopoliensi sive Judicio Tribunalitio Regni peremptoria responsione salva nihilominùs præfatæ Inscriptionis debitoriæ Titulo peremptionali alias Wyderkaff Nomine et Illustrium Magnificorum Dominici, Petri, Pauli, Cajetani Joannis Potockie Castellanidarum Leopolien[sium] Fratrum inter se germanorum intercessam, per suprascriptos Illres Magnificos Castellanidas Leopolienses postquàm adoleverint simili approbatione in toto praecustodita manente Recognitionis præsentis vigore. = L.S. = Ex Actis Castren[sibus] Capitt. Tremboulensibus Extractt. = Correxi Lukowski mp = Lectum per Gorecki = Et Nos =

Venceslaus Hieronymus Archiepiscopus Suprano=minatus, visis Literis Cridæ debitè ut à tergo earundem=apparebat executis, attentoq termino ex ijsdem in diem hodiernam legitimè incidente, ante omnia quosvis interesse habentes, dictis Cridæ Literis Citatos non comparentes, Contumaces prout meritò erant suadente justitiâ reputavimus, et in eorum contumaciam visâ Inscriptione prædicta supra de Actu suo specificata, eandem in omnibus et singulis illius punctis, clausulis, articulis, conditionibus, nexibus et ligamentis universis Authoritate Nostra approbavimus, confirmavimus et ratificavimus, roburq ejusdem Authoritatis nostræ Ordinariæ et perpetuæ firmitatis eidem apposuimus Summam Capitalem Quinquaginta millium florenorum=Polonicalium, in eadem Inscriptione contentam, cum suo Censu immunitati et libertati Ecclesiasticæ adscripsimus et=inviisceravimus, ac eandem cum eodem suo Censu Ecclesiæ=Præpositurali et Parochiali Buczacensi perpetuò et in ævum applicavimus, obligationes intuitu ejusdem Censûs ab eadem Summa pendendi, et percipiendi, quas præscribendas et imponendas Nobis, Arbitrioq Nostro prædictus Illustris Magnificus Nicolaus Potocki munificus Fundator reliquit et=reservavit, has quæ sequuntur, videlicet: quatenus Admodum Reverendus Præpositus Buczacensis, ante omnia ex Censu ab eadem Summa percipiendo, Residentiam seù Collegium

ligneum

ligneum pro Commendario et Vicarjis Ecclesiæ Bucracensis, nunc et in futurum ad eandem extituris, in fundo illius Ecclesiæ proprio, eoq́ qui commodior videbitur, idq́ sub uno tecto pro qua libet Persona cubiculum distinctum cum Camera, nè unus alteri subjectionem inferat, Commendarji tamen habito respectu, qui simul et Senior eorumdem Presbyterorum erit, pro persona illius cubiculum alijs majus et commodius non solúm cum Camera in qua cubile stratum habebit, sed etiam et cum asservatorio, túm Refectorium et Dispensatorium cum cubiculo pro Coquo extrui faciat, omnibusq́ necessarjis requisitis ad commodam eorumdem Presbyterorum mansionem provideri curet, Qui Presbyteri taliter in communi mansuri, etiam et mensam communem habere obligantur, pro qua quotannis ex hac nova Fundatione illiusq́ Cênsu percipient florenos Mille Trecentos, et inquantúm non suffecerint, reliquas ejusdem mensæ expensas ex accidentibus suis compensabunt, cujus mensæ communis dispositionem seu Curam per turnum, per menses, aut Quartualia anni obibunt, vel etiam si voluerint unum è medio sui ad hoc munus et onus idoneum eligent et constituent, qui Procurator vocabitur, ita nihilominús ut de perceptis et expensis ad determinium cujuslibet mensis coram omnibus rationem faciat, et ab omnibus acquietetur. Hæc verò Regestra et ejusmodi calculum saltem tèr si non sæpius in Anno Præpositus videat, revideat, trutinet, et ex Officio suo subscribat; in quo

Collegio

Collegio futuri Presbyteri in eodemq mansuri, Portam quæ dicitur Clausura, tempore æstivo apertam habebunt de mane hora quinta, clausam de Vespere horâ Octava; jam verò tempore hyemali apertam de mane hora Septima, et de Vespere clausam hora Sexta, à qua Porta seu Clausura una clavis circa hebdomadarium, et altera circa Commendarium asservetur, Campanula quoq eidem Portæ seu Clausuræ semel appensa continuò pendeat, funiculus verò ab eadem campanula extra dictam Clausuram cum Cruce omnibus pateat propter dandum signum ad ægrotos. Ultra præfatam mensam communem ex hac nova Fundatione omnes et singuli prædicti Presbyteri cum suo Præposito quotannis quilibet eorum pro persona sua distinctim Tinfones Centum percipiet, et quia Beneficium datur propter Officium, et è contra, ideò dicti Presbyteri soli, quilibet eorum ex persona ultra obligationes antiquas quâlibet hebdomada, duas Missas lectas modò pro animabus suffragio carentibus, post sera verò fata Illustris Magnifici Nicolai Fundatoris pro anima Ipsius, Memento item perpetuum in qualibet Missa, et post prandium Psalmum Miserere mei Deus, post Cœnam vero Psalmum De profundis sub districto DEI Judicio absolvere tenebuntur. Insuper quatuor Anniversaria perpetuis temporibus quolibet in anno peragere erunt adstricti, et cum ipsis etiam Præpositus /: qui si tunc legitimè absens fuerit :/ in compensationem suæ absentiæ alio tempore et etiam alibi.

alibi tres Missas lectas de Requiem juxta præsentem Fundatoris intentionem absolvet. Modus absolvendi Anniversarji erit. = Primo: Curabunt ut quodlibet Anniversarium pridiè in omnibus Ecclesjis Sæcularibus et Regularibus Oppidi Buczacz, ac etiam Ritûs Græci Nostro Latino Uniti trinus pulsus omnium Campanarum, aliàs manè, horis meridianis, et horis Vespertinis præcedat, ipso autem die Anniversarji, idem trinus pulsus, = alias ante inhoationem Devotionis de mane primò, ante Missam Summam secundò, et post eandem Missam tertiò, iteretur. Secundo: Invitabunt Religiosos Patres Sancti Basilji Magni Conventûs Buczacensis Ritûs Græci Latino Uniti, quatenùs primis Vigiljis et Missæ cantandæ cum Juventute sua = Scholastica adsint et assistant, et pro ejusmodi obsequio jisdem Religiosis Patribus Basilianis pro unaquaq́ vice seu aliàs pro quolibet Anniversario contribuent aureos Nummos binos. Tertio: Finita Missa per Eosdem Religiosos Patres Sancti Basilji Magni, incipiet Vigilias Præpositus præsens: |: vel in ejus absentia Commendarius :| cum Presbyteris ad eumpinem invitatis, et Religiosis Patribus Ordinis Prædicatorum Sancti Dominici Conventûs Buczacensis cum Missis lectis interessentibus pro unoquoq́ Anniversario unum aureum nummum solvet, aliàs florenos Polonicales Octodecem. Quarto: Finitis Vigiljis, Missam de Requiem Præpositus adhibito Choro Capelæ seu Musicorum cantabit, et eidem Capelæ seu

Musicis pro unoquoq Anniversario unum aureum nummum contribuet, Calcancista quoq pro quatuor prædictis Anniversarjis in Anno absolvendis habebit ex hac nova Fundatione et percipiet florenos Polonicales Tres et grossos viginti. Quinto: Tám Præpositus, quám et Presbyteri ejusdem Ecclesiæ Præposituralis Buczacensis pro Missa cantata et Missis lectis nullomodò aliquod stipendium prætendere debebunt, cum satis habeant aliundè ex munificentia Fundatoris. Sexto: Pro pulsu campanarum in tempore eorundem quatuor Anniversariorum quolibet in anno, perpetuò absolvendorum exdividendi erunt floreni Polonicales Sexaginta numerando pro unoquoq Anniversario florenos Quindecim. Septimo: Pro binis lapidibus Ceræ albæ floren Polon Centum Sexaginta expendet. Octavo: Presbyteris extraneis cum Missis comparentibus distribuet florenos Quadraginta, alias pro unoquoquè Anniversario florenos Polonicales Decem, eleemosynæ Pauperibus florenos Triginta duos, aliás pro unoquoq Anniversario florenos Octo iisdem Pauperibus, jam verò inservientibus Ecclesiæ florenos Sexdecem, et pro Vino ad Sacristiam florenos Decem solvet. Nono: Ex hac eadem Fundatione debebunt conservari in Nosocomio ad eandem Ecclesiam Præposituralem Buczacensem sex Pauperes mares, qui pro qualibet hebdomada quilibet eorum pro persona sua florenos Duos, et pro duobus Annis Pallia de panno semel electi colo-

ris

ris cum Signo seu Stemmate praeclarae Domus Potoccianae, unum Pallium taxando florenos Triginta Sex habebit. Decimo: Item ex eadem nova Fundatione conservabitur Baccalaureus ad eandem Ecclesiam Praepositurialem Buczacensem qui Juventutem in doctrina Cathechethica instruere, legere quoq' et scribere eandem Juventutem docere, et cum eadem Missis primarjis quotidie interesse tenebitur, ipsa verò Juventus prius edocta Psalmum De profundis Polonicè vel Latinè statim post quamlibet Missam primariam vel cantabit, vel etiam devotè clara voce modo pro animabus suffragio carentibus, post sera verò fata Illustris Magnifici Fundatoris, pro anima Ipsius recitabit,ᴾ Supradicti sex Pauperes mares in Nosocomio conservandi ultra hanc obligationem quod Ecclesiae inservire debebunt, obligantur insuper ut saltem unus ex jisdem semper reperiatur circa apertionem Ecclesiae orans pro Fundatore, post prandium verò hora prima in Ecclesia omnes constituti unam partem Rosarji, et Litanias de Beata Virgine Maria Lauretanas coram Altari Ejusdem canant; et quodsi per hebdomadam, Mensem, et ultra non fuerit completus numerus eorundem sex Pauperum, extunc eleemosyna absentis seu absentium sub reatu Peccati mortalis et nexu restitutionis, non Praeposito, Commendario, Procuratori, vel cuipiam alteri, verum mendicare erubescentibus, et verè destitutis cedat. Undecimo: Ad extremum, ex hac etiam nova Fundatione.

ᴾ Cui Baccalaureo annuatim assignantur Floreni Septuaginta.

tione pro conservatione sartorum tectorum Ecclesiæ et Collegji quotannis Centum Quadraginta Quatuor Floreni Polonicales ad Arcam trium Clavium reponantur, à qua quidem Arca una clavis circa Præpositum, altera circa Decanum Foraneum, et tertia circa Commendarium conservetur, in eademq́ arca asserventur Regestra Perceptorum et expensorum ordinavimus, præscripsimus, et imposuimus, ac ad explendas sub onere conscientiæ obligavimus, Literasq́ approbationis, Confirmationis, Ratificationis, Ordinationis, aliasq́ quasvis necessarias et opportunas, vim et robur perpetuæ firmitatis habituras decrevimus, et in forma solita extradi mandavimus prout approbamus, confirmamus, ratificamus, præscribimus, obligamus, decernimus, et mandamus tenore præsentium. Acta sunt hæc in Palatio Nostro Archiepiscopali Obroszynensi Anno Incarnationis Dominicæ Millesimô Septingentesimô Sexagesimô Quintô Indictione Romanâ XIII. Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Domini Clementis Divina Providentia Papæ Ejus Nominis XIII. Anno VII. Die verò Mercurji XVIII. Mensis Septembris. Præsentibus Perillustri, Illustri et Admodum Reverendis Hiacyntho Sojechi=

Cathedrali Livonien., Dominico Lysogurski Collegiatæ Brzozoviensis Diœcesis Premisliensis Canonicis, Generosis Xaverio Kupiński, et Thoma Losiewski Notarijs Apostolicis et Francisco Leszczynski Notario Apostolico, et Actorum Curiæ Nostræ Cancellario, alijsq[ue] pluribus Testibus ad publicam Causarum audientiam congregatis.

Venceslaus Archiepus.

Intabulatur, Ex Sessione Leopoli
die 24. Marty 1784
Xav. Korczynski
Actuar.

Franciscus Leszczynski Notarius
Apostolicus Actorum Curiæ Suæ
Celsitudinis Cancellarius.
mppria

Vertatur.

Inscriptio praesens sub N.ro Exhibiti
1920. Praesentato 28va Junij 781mo
ad intabulandum porrecta, apud Caesa=
reo Regias Tabulas Provinciales Gali=
ciae impetrato praevie consensu in Li=
bro Fundationum Tomo 50 Pagina 1ma
de verbo ad verbum ingrossata, atq in Libro
Praenotationum Antiquar Tomo 10mo Pagina
288va N.ro 2do est praenotata. Actum
Leopoli Die 20mo Martij 784to

Cajet. Ant. Awe=
dyk mpr
Loco Registratoris

Nr 1920. praes: 28 Junii 781.

adg01
R

Lib: Fundationum Tomo 50 Pa: 1ma
Coll:

4/91